



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De reditu Zenonis. Cap. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

de huius regiae & eximiae urbis pertinet, ex ea re fiat. Denique quod hoc diuinum nostrum decretum vim habeat diuini edicti, nemini dubium aut obscurum esse volumus. Istae res isto modo fuere confectae.

De rebus Zenonis. Cap. VIII.

Zeno vero per visionem, ut fertur, conspicatus sanctam, strenuam, & eximiam martyrem Theclam non ipsum solum impellentem, verum etiam imperij pollicentem restitutionem, versus Constantinopolim exercitum ducit.

Atque viris qui illum obsidebant muneribus inductis, Basiliscum, cum iam biennio regnauerat, imperio exturbat: & ad sacri templi adyta confugientem, hostibus auferendum tradit. Quam ob causam Zeno egregiae martyri Theclae amplissimum templum splendore & pulchritudine eximiū Seleuciae urbis Isauriae dedicauit, pluribusque ac plane regalibus monumentis, quae ad nostram usque aetatem seruata sunt exornauit. Basiliscus autem mittitur in Cappadociam mortem oppetiturus. Vbi in diuersorio nomine Aconso una cum uxore & liberis trucidatur. Zeno autem legem sancit, qua decreta Basilisci tyranni in literis generatim ad omnes perscriptis comprehensa, abrogata fuere: & Petrus cognomine Cnapeus ecclesia Antiochena, & Paulus Ephesiana expellitur.

Quod vita sancto Basilisco, episcopi Asiae dum Acacium placare student, quod Chalcedonense Concilium damnassent, poenitentiae libellum exhibuerunt. Cap. IX.

Episcopi Asiae, quod Acacium placarent, depraeuari culpam, veniamque petere coeperunt: mittunt quoque ad eum poenitentiae libellos, quibus asserunt se non sua sponte, sed vi ac necessitate coactos literis Basilisci generatim ad omnes datis subscripsisse: atque adeo iurando confirmant rem ita reuera se habere, seque non aliter, quam concilium Chalcedonense vel credidisse, vel credere. Libelli autem hanc habet sententiam.

Epistola, siue supplex libellus ab episcopis Asiae ad

Kk 3 Aca-